DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
AD
Leg. XI. Cod. de Feriis.

QUAM

DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris

JACOBI VOORDA,

J. U. D. Juris Civilis in illustri hac Academia Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

DIDERICUS OUWENS. GORINCHEMENSIS.

Ad diem 19. Augusti, L. H. Q. S.



TRAJECTI ad RHENUM,

Apud ALEXANDRUM VAN MEGEN,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHUM, MDCCXXXIV.

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS

D. D. NICOLAO OUWENS,
J. U. D. SENATORI ET EXSCABINO CIVITATIS GORINCHEMENSIS, FRATRI SUO DULCISSIMO, VENERANDO.

D. D. HENDERICO VAN SCHUYLENBURG,
J. U. D. SENATORI ET A SECRETIS CIVITATIS GORINCHEMENSIS, PATRUELI TUTORI SUO DEXTERRIMO, OPTIMO, OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO.

Hanc Disputationem Inauguralem ea, qua par est pietate & reverentia,


D. D. D.

DIDERICUS OUWENS.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
AD
Leg. XI. Cod. de Feriis.

§. I.



AD Privilegia Doctoralia anhelaturus, raram ac amoenam hanc materiam ad *L.* XI. *C. de Feriis* selegi; tentaturus, quid humeri ferrent. Sine ambagibus autem ad ipsam L. me adcingam, cujus verba ita sonant: Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Armasio P.P., „ Dies festos majestati altissimae dedicatos, „ nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexa- „ tionibus profanari. §. 1. Dominicum itaque diem ita semper ho- „ norabilem decernimus & venerandum, ut a cunctis executionibus „ excusetur: nulla quemque urgeat admonitio: nulla fidejussionis „ flagitetur exactio, taceat apparitio: advocatio delitescat: sit „ ille dies a cognitionibus alienus: praeconis horrida vox silescat: „ respirent a controversiis litigantes, & habeant foederis interval- „ lum:

„ lum: ad ſeſe ſimul veniant adverſarii non timentes; ſubeat ani-
„ mos vicaria poenitudo: pacta conferant; transactiones loquan-
„ tur. Nec hujus tamen relligioſi diei otia relaxantes, obſcoenis
„ quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die ſibi
„ vindicet ſcena theatralis, aut Circenſe certamen, aut ferarum la-
„ crymoſa ſpectacula: &, ſi in noſtrum ortum, aut natalem ce-
„ lebranda ſollemnitas inciderit, differatur. Amiſſionem militiae,
„ proſcriptionemque patrimonii ſuſtinebit, ſi quis umquam hoc die
„ feſto ſpectaculis intereſſe, vel cujuſcumque judicis apparitor prae-
„ textu negotii publici, ſeu privati, haec, quae hac lege ſtatuta
„ ſunt, crediderit temeranda. Dat. Id. Decemb. Conſtantinop.
„ ZENONE, MARTIANO. COSS. 469.

§. II.

Ad ipſius legis explicationem antequam nos conferamus, generalem Tituli, ex quo L. noſtra deſumpta, inſcriptionem contemplemur. *Feriae*, a feriendis hoſtiis, ſecundum Lexicorum teſtimonia dictae ſunt; quia diebus feſtis litare ſolebant, Feſto auctore. Hinc & ipſae *Hoſtiae* feriae a Gellio dicuntur, *lib.* 4. *Noct. Attic. c.* 6. Alii ab epulis ferendis: quae derivatio non placet. Vid. Martin. in *Lex. Philol. Voc. Feriae.* Iſidorus a *fando* derivat, *lib.* 5. *c.* 13. quod in eis ſit tempus dictionis, id eſt, in divino & humano officio fari. Chriſt. Becman. de *Origin. Ling. Lat.* Ferias a voce *Feſtum* deducit. Inter JCtos ſunt, qui a *foro* ferias derivant; ut Azo ad *Cod. h. t.* quae etymologia, ut ut frigida, videatur: propius tamen ad ſcopum noſtrum accedit; quia, noſtro in titulo hoc inprimis edocemur, quando & in quibus cauſis tempore feriarum, judicia exercere, & Judici jus dicere vel permiſſum vel prohibitum ſit. Quod ad Synonymiam attinet: & *feriatici dies* dicuntur, *l.* 2. *D. h. t.* ubi vide Gothofr. *Litt. I.* Item *feriati*, *l.* 6. *&* 9. *D. eod. Dies feſti*, Virg. *I. Georgic.*, & *nefaſti*; quia nefas erat die feriarum Prætorem verba fari: *Do*, *dico*, *addico*. Et his opponuntur *Dies Juridici*; de quibus eleganter Ovid. *lib. Faſt.*

Ille

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur;
Fastus erit, per quem lege licebat agi.

Vide Alciat. *Lib.* 3. *Parerg. c.* 2. & Coras. *Lib.* 3. *Miscell. c.* 18. Ipsum tempus dicebatur *Justitium*; quia hoc tempore, clauso foro; justitiae exercitium sisteretur. Quod Homonymiam concernit, vel stricte pro feriis divinis & festis tantum accipiuntur, vel late; ubi & humanae feriae intelliguntur. Vid. *l.* 2. *h. t.* & Alber. Gentil. de *Variis tempor. Appellationibus.* Alia dabit Martinius in *Lex. Philol.* Definiuntur demum feriae, quod sint dies, cultui divino, aliisque rebus humanis vacandis praescripti, a judicialibus actibus vacui, *l.* 1. 2. 3. *&* 9. *D. h. t.*

§. III.

Varia fuisse feriarum genera apud antiquos, docuit Macrob. *lib.* 1. *Saturn. c.* 15. & Budaeus in *Annot. ad D. tit. de Feriis.* Jurisprudentia vero nostra admittit tantum divinas & humanas seu profanas, *cap. ult. X. de Feriis.* Divinae sunt, quae Majestati altissimae sunt dedicatae, secundum *l. ult. pr. C. h. t.* uti, e. g. Festa nativitatis, Paschatos, Pentecoste, aliaque plura, quae partim in judiciorum ordinationibus recensentur. vid. Gail. *Lib.* 1. *Obs.* 53. Et huc etiam pertinent dies solis, seu dominici, de quibus iterum in *l. nostr.* XI. Adde *l.* 3. 7. *de Feriis.* De Festis hoc in genere est observandum, quod nonnulla sint mutabilia vel variantia, quae non eundem diem & mensem semper servant; e. g. festum Paschatis; dies 15 paschalis, id est, ipse dies Paschae, & septem, qui praecedunt & qui sequuntur, *l.* 2. *l.* 7. *C. de Fer. l.* 3. *C. de Episcop. audientia.* Alia sunt immutabilia, quae uno eodemque mense & die perpetuo recurrunt; ut natalis, Epiphaniae Christi, & festa Apostolorum. Humanae feriae sunt, quae hominum gratia introductae sunt, vel urgente utilitate, vel necessitate suadente, vel etiam ob honorem, & in memoriam defunctorum, *c. ult. in fin. X. de Feriis*, *l.* 26. §. 7. *Ex quib. caus. maj.* Et hae iterum dividuntur in *Necessarias*; quales sunt rusticae & urbanae; & *Honorarias*, quales sunt feriae, memoriae conservandae causa constitutae. Urbanae

banae sunt nundinae, quae auctoritate principis celebrantur, mercaturae exercendae gratia, *l. un. C. de Nundin. & mercat.* de quibus, brevitatis caussa adlegasse sufficiat Ahasveri Fritschii elegantem tractatum de *Regali Nund. jure, c. 2. n.* 8. Rusticae ad fructus colligendos introductae sunt, ut messium, vindemiarum, & tempus seminum spargendorum, quod tempus merito Accursius, Costalius & Busius ad *l.* 4. *de Feriis n.* 4. hisce feriis adnumerant: quidquid etiam Hilliger. *ad Donell. lib.* 4. *c.* 7. *lit. O.* in contrarium adferat; quasi, principis auctoritate deficiente, nulla earum ratio habenda. Facti haec quaestio est; neque quaerimus, quid princeps constituerit, sed quid juris, & quid constituere debeat. Harumque tempus ratione locorum & annorum diversitate, frugumque ubertate olim praesides provinciarum determinabant, *l.* 4. *D. h. t.* ad quam vid. Bachov. & P. Busium, qui ad *l.* 2. *C. h. t.* obstantem, respondent. Et hae rusticae feriae in plerisque regionibus hodie sunt definitae, certique dies illis adsignati, Carpzov. *de Processf. tit.* 10. *Art.* 1. *n.* 9. Honorariae feriae in memoriam Principis, civitatis, ut natalis Romae, Constantinopolis, *l.* 7. *C. h. t.* vel privati alicujus, indulgentia Inperantis indultae, mutari omnino possunt, inque alium diem conferri. Neque illae apud nos adeo sunt frequentes, uti apud Romanos quondam, de quibus plena est antiquitas.

§. IV.

Nondum satis divisionum. Sunt iterum feriae *Ordinariae*, vel *Sollemnes*, certo jure ordinatae, & statis anni temporibus recurrentes, *l.* 27. §. 7. *Ex quibus Causs.* Et *Extraordinariae*, quae extra ordinem & casu instituuntur: E. G. ob rem, publice bene vel male gestam, adventum, inaugurationem, nativitatem Principis, pestilentiam, & quae plura, *l.* 1. *l.* 4. *l.* 7. *C. h. t.* & *d. l.* 26. Hilliger. ad Donell. *d. l. litt. C.* Hanc tamen cautelam hic servemus, necesse est, ut hae feriae, quae cito fiant, cito etiam pereant, nec iterum reviviscant: alias enim fiunt Ordinariae & Perpetuae. Tandem & ferias in *Integras*, & *Semiferas*, seu *Intercisas*, dividunt interpretes nostri. Sic in nonnullis locis festa Apostolo-

rum

rum per dimidium diei ſpatium tantum celebrantur; altera dimidia pars quotidianis negotiis obeundis cedit. Sunt denique vel *Simpliciter tales*, quae ſcil. regulariter omnes cauſſas forenſes quiescere jubent, *l. 9. pr. h. t.* vel *Secundum quid*, quae non ab omnibus, ſed tantum quibusdam actibus judicialibus, vacationem praebent. Et hic nobilis ſe offert controverſia de *Die Quadragesimali*, quae feſtum Paſchatis praecedit, quam ad ferias omnino referunt DD. Attamen non omnes actus jurisdictionis in eo exerceri poſſe, ſtatuunt; ſcil. cognitiones & executiones in cauſſis criminalibus, expreſſa *l. 6. C h. t.* eo die exerceri vetantur; quia illo tempore poenitentiae debet tempus indulgeri, non vero ſuppliciis reorum. Equidem ſunt, qui negant, criminales cauſſas ſilere die quadrageſimali: quos vid. apud J. O. Tabor. in *Racemat. ad art.* 162. *Ordin. Crimin. p.* 565. *n.* 11. Verum illi falluntur egregie, & *l. 6. C. h. t.* vim inferunt apertam. Num vero cauſſae civiles in his feriis quadrageſimalibus ventilari poſſint, nova eſt quaeſtio: ad quam adfirmando reſpondeo per *l. 7. C. h. t.* ubi ſpecialiter actus judiciales prohibentur 15 diebus Paſchalibus: & ſic olim in pleriſque foris obſervabatur. Hodie etiam *l. 6. C. h. t.* uſus eſt nullus, & plane oblitteratus; uti Simon à Groenewegen ad *d. l. 6.* Gothofred. ad *d. l.* Perez. aliique abunde demonſtrarunt. Ita & torquentur & capite puniuntur in feriis quadrageſimalibus apud nos delinquentes. Notabile tamen, quod, teſte Carpzovio in *Jurispr. Conſiſt. lib. 2. def.* 151. multis in locis hiſce quadrageſimalibus diebus nuptias celebrare prohibitum ſit. Generales autem feriae, ab Inperatore conſtitutae, dicuntur *Inperiales. l. 4. C. h. t.* Unde patet, non magiſtratum, ut ut majorem, ſine conſenſu ſummi inperantis, ferias conſtituere poſſe, *d. l. 4. C. h. t.* Qui vero diem feriatum adlegat, ille debet hoc ipſum probare, ſi de eo dubitetur; quia in dubio omnes juridici habentur, *d. l. 7. C. h. t. Omnes dies jubemus eſſe Juridicos.* Hinc comparere reus, & et exceptionem diei feriati proponere debet.

Sed quid juris, ubi relligionum diverſitas, calendariorumque diſcrepantia? Plerique Juriſconſultorum ſtatas ferias judiciales tantum eſſe obſervandas, perhibent; quia litigantes ſe adſtrinxiſſe ferunt ad conſuetudinem ejus provinciae, in qua habitant; conſe-

quenter etiam ad ordinem processus, *l. 3. §. fin. D. de Testib. l. 1. §. 10. D. de Extraord. cognit. c. 3. X. de Eo, qui mittitur in poss. causs. rei serv.* Attamen & rationi magis videtur consentaneum, & praxi plerarumque regionum, & feriarum actoris, & rei rationem haberi; inprimis vero sacrarum: ne dies feriati praejudicium relligioni, semel forsan receptae, & in nostro territorio probatae, adferet, & conscientiam sauciatam efficiat. Quid quod ipsis Judaeis, odio qui internecino prosequebantur olim, hoc fuerit indultum per *l. 8. C. Th. de Exsecutor.* ubi vid. Jac. Gothofred. quod & praxis nostra adhuc hodie servat. Sic in vicinis regionibus Germanorum festa utriusque calendarii, & Juliani, & Gregoriani, observantur, Brunneman. *de Process. c. 6. n. 27.* De computatione diei feriati pauca adhuc dicam, antequam ad ipsam Legis, praescriptae mihi XI. explicationem me conferam.

Jura Civilia, & Canonica divortium circa computationem hanc fecere: Jure enim Canonico dies feriatus computatur de vespera ad vesperam, *c. 1. X. de Feriis.* Jure vero Civili dies civilis a media nocte praecedente ad noctem subsequentem, *l. 8. D. de Feriis.* A. Gentil. *in tract. de Divers. temp. appell. c. 5. p. 52.* rationem hanc adlegans, quod sol media nocte sit in infimo coelo, id est, in illo coeli puncto, unde ad nos redire incipit. Hinc inde factum diei initium, unde sol, diei auctor, ad nos vergere incipit. Dies naturalis computatur a solis ortu usque ad ejus occasum, Alber. Gentil. *d. l.*

§. V.

Revertamur, hisce digressionibus paululum intenti, *ad L. nostram ultimam*, ejusque auctores diligentius observemus. Fuerunt illi Fl. Leo I. & Anthemius, Augusti. Non ignobiles sunt in Jurisprudentia nostra Leones Inperatores, ceu patebit ex Indice LL. apud Cl. A. Wilingium in *Jurisprudentia restituta, p. 105. seqq.* Leo noster Thrax fuit genere, vel e Dacia Illyrica, incertis parentibus oriundus, Niceph. Callistus, *lib. 15. c. 15* & Candidus apud Photium *Cod. 79.* Utramque originem commemorat Zonaras. Progenies Bessica, Jornand. de *Regn. success.* Fuit antea

antea Procurator Asparis: alii Praefectum vectigalium Selymbrianorum tradunt, quos inter Zonaras & Jornandes: alii cohortibus Selymbrianis Praefectum ajunt, hacque dignitate ornatum studio Asparis Patricii, viri magna auctoritate, sed fastiditi a Constantinopolitanis, quia origine Gothus erat, & Arianismo favebat, Orientale inperium adeptum fuisse. Hic autem Asper vel sua auctoritate, vel populi jussu, Leonem Imperatorem declaravit Kal. Mart. A. U. C. 1209. Constantino & Rufso Coss. stipulatus, ut alter filiorum Cæsar adoptaretur, quod Leo promisit, sed in longum differebat, ita ut Aspar aliquando, purpura adprehensa, cunctanti Leoni diceret: *Inperator, hac veste mentiri, nefas est*; regerente Leone: *Etiam cogi & instar mancipii trahi nefas est*. Verum cum diutius resistere haud posset, Anno Chr. 468. Inperii 12. Patricium, Asparis filium, desponsa eidem Ariadna filia, Cæsarem fecit, Sophismate, ut putant, politico, ut Asparis familiam perderet eo tutius. At Cæsar nec populo, nec senatui placuit, quia Arianismo favebat. Hinc clerus concitabat populum ad seditionem, ut orthodoxum Caesarem sibi designaret Inperator, qui, seditione pro tempore compressa, securos Asparem & Ardaburium F. Spadonum gladiis in palatio obtruncavit, sub specie & caussa factarum sibi insidiarum; re autem vera, ut nepotem ex filia Leonem juniorem Inperatorem crearet. Coronatus ille a Patriarcha Anatolio: quod observatu dignum censeo, quia inde jus aliquod clerus sibi in Inperatores fuisse effingere possit. Verum ut testis tantum adhibebatur Patriarcha, electum sc. esse Inperatorem Christianum non haereticum, unde & postea professio doctrinae ante coronationem ab Inperatoribus peti solebat. Uxor ei fuit Ælia Verina, Basilisci ducis soror, ex qua suscepit duas filias, Ariadnam, quam Zenoni, post Inperatori, Leonis ex eo Junioris matrem, & Leontiam, quam Martiano Patricio, Anthemii Inperatoris Romani filio, elocavit. Notabilia varia sub eo evenerunt: Constantinopolis fere tota cum inlustri Bibliotheca per quatriduum conflagravit A. U. C. 1248. per ignes, a Daemone subditos, si fabulis fides; Baron. ad *Ann.* 465. Antiochia terrae motu concidit, liberalitatem Leonis experta, teste Nicephoro. In agro Byzantino pluvia cineria palmi altitudine decidit; quibus prodigiis per-

per-

perterritus, urbe relicta, diu apud S. Mamantem habitavit. Populum exhausisse eum tributis, Suidas refert, in *Leone*. Erga Eruditos clementiam & amorem exercuit summum. In ore illi erat aureum illud: Quemadmodum sol, quibus affulsit, iis calorem inpertiri solet; ita etiam ab Inperatore clementia iis tribuenda, quos adfulsit. Item stipendium Eulogio Philosopho, in militiam insumere suadenti, respondit: *Utinam liceat meo tempore quae militibus dantur, in professores inpendere!* Laudatur apud scriptores illius pietas & in orthodoxia promovenda studium; quod illum etiam ad hanc egregiam Constitutionem commovit. Obiit Leo M ex dysenteria, mense Jan. A U.C. 1219. Ad Anthemium, cujus pariter in Inscriptione legis nostrae fit mentio, nos conferamus restat. Is a Fl. Leone nostro ad Romanum Inperium evectus fuit, Cusaco & Joh. Coss. A. U. 1219. In hunc enim fortunae articulum conjecerat, terrarum Deam, Romam fortuna, ut Inperatores occidentales Constantinopoli mitterentur. Marriani fuit gener Anthemius, Nicephor. Callist. *lib.* 15. *c.* 11. & Procopii frater, Idat. in *Chronico*; opibus & genere potens, Procop. *lib.* 1. *Vandal.* Occisus est a Ricimere, genere suo, Marriano & Festo Coss. A. U. 1224. Marcellus in *Chronico*. Merita ejus in Jure nostro non adeo magna mihi videntur, cum pleraque auctoritate Leonis Inperatoris constituta fuisse putem. Data est Constitutio nostra ad Armasium, Praefectum Praetorio, cujus, quantum mihi constat, obscurum in antiquitate nomen.

§. VI.

Principium legis nostrae de Diebus festis occupavimus jam in §. 3 ideoque frustraneum erit, haec repetere. Adde dictis Jac. Gothofredum ad *l.* 1. *C. Th. de Feriis*, & *ad l.* 2. *eodem pag.* 125. *Majestati altissimae dedicatos* pergit Inperator. Vocabulum *majestatis* proprium videtur Diis, a magnitudine dictum, Festo auctore. adde *l.* 32. §. 4. *D. de Recept. qui arbitr.* Cicero 1. *de Divinat.* & alibi saepius. Cetera hujus principii in sequentibus latius prosequentur. Potius ad §. 1. ubi & principium latius explicatur, me converto. Ad progressum juris quod attinet: notemus primum,

&

& ante Leonem Thracem , Inperatores Theodosium & Valentinianum jam Constitutionem de sanctitate & relligione festorum & diei dominici evulgasse, quae in *Cod. Theodos. tit.* de *Spectaculis* exstat, & in *l.* 5. a Jac. Gothofredo recensita ; omissa autem plane in Justinianeo Codice. Verba ejus hic adscribere, forsan non ingratum erit, cum Codex ille non in omnium versetur manibus. Dominico, inquiunt Inperatores, „ qui septimanae totius primus „ est dies, & Natali atque Ephiphaniorum Christi, Paschae etiam „ & quinquagesimae diebus, quamdiu coelestis lumen lavacri, „ imitantia nova sancti baptismatis lucem vestimenta testantur : „ quo tempore & commemoratio Apostolicae passionis, potius „ Christianitatis magistrae a cunctis jure celebratur, omni Thea- „ trorum atque Circensium voluptate, per universas urbes earun- „ dem populis denegata, totae Christianorum ac fidelium mentes „ Dei cultibus occupantur. Si qui etiam nunc vel judex inpieta- „ tis amentia, vel stolidae paganitatis errore atque insania detinen- „ tur, aliud esse supplicationum noverint tempus ; aliud volupta- „ tum. Ac ne quis existimet, in honorem numinis nostri, veluti „ majori quadam inperialis officii necessitate compelli, & nisi divi- „ na relligione contempta spectaculis operam praestat subeundam „ forsitan sibi nostrae severitatis offensam ; si minus circa nos devo- „ tionis ostenderit, quam solebat, Nemo ambigat, quod tunc „ maxime consuetudini nostrae ab humano genere defertur, cum „ virtutibus Dei Omnipotentis ac meritis universis obsequium or- „ bis impenditur. Dat. Kal. Febr. Constantin. Theod. XI. & „ Valentiniano Coss. (425.) Singularem & elegantem ad hanc Constitutionem commentarium conscripsit Barnab. Brissonius ; cui addendus doctissimus Cod. Theod. Interpres, J. Gothofredus. Verum & ante hanc Constitutionem Theodosius M. jam Anno 336. cum Gratiano & Valentiniano in *l. 2. C. Theod de Spectac. in fin.* „ Illud etiam praemonemus, inquiunt, ne quis in legem „ nostram, quam dudum tulimus, committat. Nullus *Solis die* „ populo spectaculum praebeat, nec divinam venerationem , con- „ fecta sollemnitate confundat. Patet ex verbis, *quam dudum tu-* „ *limus*, jam ante *h. l.* Theodosium de die Dominico aliquid sanci- „ visse : at Constitutio illa non reperitur. Jac. Gothofr. *ad l.* 1. *C.*

Theod. De Feriis conjicit, Theodosium M. *ann. D.* 379. vel mox postea, primam constitutionem, de Spectaculis die solis non celebrandis, edidisse, pro fundamento adlegans *d. l. 2. C. Theod. de Spectac.* quod lubricum videtur argumentum, silente Antiquitate, & oblitterata legis illius memoria. Theodosius itaque M. primum spectacula die solis edi vetuit; quod Theodosius Junior confirmavit. Omnium autem primus religionem diei Dominici stabilivisse Constantinum M. primum Christianorum Imperatorem, in comperto est: ante enim hunc, Christianorum silebant sacra; gentilium autem festa, aliis principiis subnixa, alias etiam provocaverant leges. Is autem in *l. 1. C. Theod. de Feriis* dominicum jam juridicis exemit: *Nec non & dies solis, qui repetito in se calculo revolvuntur.* Ad quae verba doctissimus Gothofredus elegantem hunc Isidori locum adfert, *lib. 2. Orig. c.* 32. „Octavus autem dies, idem primus est, ad quem „ reditur, & *a quo rursus hebdomadae series orditur.* Idem Constantinus M. in l. 1. „ Sicut indignissimum videbatur, diem solis „ venerationis suae celebrem altercantibus jurgiis & noxiis partium „ contentionibus occupari. Cum bona Lectoris venia a Gothofredo mutuemus breve illud Chronicon septem Constitutionum de die Dominica. Primus fuit Constantinus M. qui ante mensem Junii A. D. 321. mense Martio, diem solis otio mancipavit, & juridicis diebus actibusque privatorum contentiosis exemit, *l. 2. C. Just. de Feriis II.* ipso mense Junio A. D. 321. voluntariae quoque Jurisdictionis actus excepit, seu emancipationes & manumissiones, *l. 1. C. Th. de Feriis III.* Valentinianus Sext. A. D. 368. exactiones eo die prohibuit fieri a Christianis, *l. 1. de Execut.* quae repetita *l. 10. de Eviction. IV.* Valentinianus Junior A. D. 386. generaliter & distincte omnes omnino lites, omnia negotia quiescere jussit, etiam ob debitum publicum, etiam apud arbitros, commissarios, sub poena sacrilegii, *l. 3. C. Th. de Execut. & l. 3. eod. de Exaction.* V. Idem A. D. 389. Juridicis iterum diebus eum exemit, *l. 2. h. t.* VI. Theodosius M. A. D. 379. vel mox postea, spectacula die solis edi vetuit, *l. 2. in fin. C. Th. de Spectaculis.* Et, iterata jussione A. D. 386. *d. l. 2.* VII. Theodosius Junior A. D. 425. spectacula die solis edi per universas urbes vetuit, *l. ult. C. Theod. de Spectac.* Ex hoc progressu liquebit facile, quid novi constitue-

rit Leo noster Trax, in *L. nostr. ult.* quam pressius jam contemplemur.

§. VII.

Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, ait Leo Inperator, in *L. nostra* XI. Diem hunc *dominicum* & *diem solis* dixere non solum Inperatores Constantinus, Valentinianus & uterque Theodosius, Leo, in *l.* 1. *C. Th. de Fer. l.* 2. *eod. de Execution. l.* 10. 13. *eod. de Exact. l.* 2. *eod. de Spectac.* Verum etiam ipsi Patres, quod Gregor. Turonensis, *lib.* 3. *Histor. Franc. c.* 13. taxat: *Ecce* dicens, *dies solis: sic enim barbaries diem Dominicum vocitare consueta est*, vid. Gothofr. ad *l.* 1. *C. Th. de Fer.* Auson.

Primum supremumque diem radiatus habet sol.

Et mox:

Octavum instaurat revolubilis orbita solem.

Isidor. *lib.* 5. *c.* 30. *caput cunctorum dierum* eum vocat: & *Act.* XX. 7. & 1 *Cor.* 1. 2. dicitur Νιχ Σαββάτων. Graeci hinc annum dixere ἑβδομαδικῶς κανονίζειν pro eo, quod est a die solis incipere, Maxim. Martyr in *Computo, ecclesiast. p.* 1. *c.* 23. Apud nostrates dicitur ZONDAGH, sive, ut alii rectius forsan, ZOENDAGH, ab antiquo, ZOENEN, *Reconciliare, peccata remittere:* quod latius probavit J. G. Keyslerus in *Diss. de Cultu solis Freji & Olhii*, §. 5. Constantinus vero, cur barbaro vocabulo, *dies Solis* pro die Dominico dixerit, vix est operae pretium, quaeramus: vulgi enim sermonibus adcommodasse se, certo certius videtur. *Dominicus* autem dicitur, quia, loco Sabbathi constitutus est in memoriam Domini nostri & Salvatoris, qui eo die a mortuis resuscitatus est, teste Ignatio & Justino *fin. Apolog.* 2. Hinc Justinianus ex penu sua in *l.* 7. *C. Just. de Feriis* addit, *quos* Dominicos *rite dixere majores.* Placuit etiam haec denominatio jam olim Christianis, Sylvestro aliisque, immo ab Apostolorum tempore hoc vocabulum de-

ducit pulchre Jac. Gothofred. ad *l.* 3. *Cod. Th. de Executor. in fin.* Honorabilem autem & venerandum vult esse hunc diem, Inperator Leo. Quid mirum? Dies ille a Christianis, jam ante Constantinum, faustus & venerabilis habitus, ipso Constantino teste in *l.* 10. *C Theod. de Exaction.* & *l.* 1. *eod. de Executor.* & jam inde a primordiis Ecclesiae ab Apostolis ad cultum divinum Sabbatho substitutus, ut probare contendunt ex Act. Apost. xx. 7. 1 *Cor.* XVI. 1. *&* 2, *& Apocal. I.* 10. quod tamen negant alii. *Diem Solis venerationis suae celebrem*, ait Constantinus in *l.* 1. *C. Theod. de Feriis;* & Inperatores Valentin. & Theodos. in *l.* 7. *C. Just. eod. in quibus parem necesse est habere reverentiam:* quae verba sunt *l.* 2. *C. Th. de Feriis*, & a Tribuniano diei Dominico adplicata, cum ibi ad natalem Principis referuntur. Accedit, quod & ipsi gentiles hac in re praeiverint Christianos, festa sua multa relligione & reverentia celebrantes. vid. Columell. de *Re rustica*, *lib.* 2. *c.* 22. & alios apud Macrobium, *lib.* 2. *Saturnal. c.* 16. & quae plura supra adnotavi. Pergit Inperator Leo in *l. XI.* „ Ut a cunctis executionibus excusetur: nulla quemque urgeat admonitio: nulla „ fidejussionis flagitetur exactio: taceat apparitio: advocatio delitescat: sit ille dies a cognitionibus alienus: praeconis horrida vox „ silescat: respirent a controversiis litigantes; & habeant foederis „ intervallum: ad sese simul veniant adversarii non timentes: subeat animos vicaria poenitudo: pacta conferant: transactiones „ loquantur. *Quotiescunque*, inquit Augustinus *de adventu Domini in Carne, aut natalem domini aut reliquas sollemnitates celebrare disponitis, ebrietatem ante omnia fugite, iracundiae quasi bestiae crudelissimae repugnate, odium velut venenum mortiferum de corde vestro repellite.* Et haec prima est Legis nostrae XI. pars. Secunda pars incipit a verbis: *Nec hujus tamen relligiosi diei otia &c.* ibique de prohibitione spectaculorum. Tertia pars poenam proponit, & incipit a verbis: *Amissionem militiae* &c. Sic commode videtur dividi posse *Lex nostra:* hancque divisionem in explicatione *d. l.* servare apud animum constitui.

§. VIII.

§. VIII.

Primam *L. nostrae* partem ex legibus Constantini & Valentiniani conflasse Leonem, certo certius est: nam & illi jam diem solis actibus judiciariis, ceu supra ostendi, exemerunt. Pertinet huc *l.* 1. *C. Theod. de Executor.* quae repetitur in *l.* 10. *C. Theod. de Exaction.* non in *l.* 1. ut vult Gothofr. ad *l.* 1. *eod. de Feriis*, *initio:* ubi Valentianus & Valens, Inpp. „ Die Solis, *inquiunt*, qui dudum „ faustus habetur, neminem Christianum ab exactoribus volumus „ conveniri. Solos ibi videntur Christianos exemisse Inpp. quod Valentianus Junior ad omnes omnino lites & exactiones extendit, in *l.* 3. *C. Theod. de Executor. & Exaction.* quae repetitur, in *l.* 13. *eod. de Exaction.* „ Solis die, *dicens*, quem Dominicum rite di- „ xere majores, omnium omnino litium, negotiorum, conven- „ tionum, quiescat intentio: *debitum publicum privatumque nullus* „ *efflagitet.* Ne apud ipsos quidem arbitros (vel in judiciis flagitatos, vel sponte deductos) ulla sit agnitio jurgiorum. Et non „ modo notabilis, verum etiam sacrilegus judicetur, qui a san- „ ctae relligionis instituto ritu deflexerit. Neque tamen haec, tam generalis, Constitutio, qua sane omnia debita exigere vetuit Valentinianus Junior, sufficere poterat, sed specialem legem ferre tenebatur Honorius Inperator: nempe, *l.* 8. *C. Theod. de Executor.* qua Judaeis idem privilegium indulgeretur, ne sc. die Sabbathi, quo Judaei cultus sui reverentiam servant, fiscalibus executionibus & litigiis turbentur. Vides itaque, Leonem tantum specialius generales laudatorum Inperatorum Constitutiones explicasse. Duo autem notemus, antequam a prima hac *L. nostrae part.* recedamus: *Praeconis horrida vox silescat.* De Praeconis officio hic multa dicere, nihil attinet: hoc moneo tantum, intelligere hic Leonem, dubio procul, auctiones publicas, quas numquam die Dominico meminit in Gallia factas Mornacius ad *l.* 8. *C h. t.* Notum autem, ex antiquitate, praeconis munus in Auctionibus publicis; quod ex solo Cicerone decies demonstrari poterit. Minime autem huc pertinere putem *l.* 16. *C. Ex quibus caus. infam. irroget.* ex qua discimus, praecones olim infamiam & delictum, & quare illa pa-

terentur, publice horrida voce exclamasse: *Fustibus caesum, cui per praeconem ita dictum est* ἐσυκοφάντησας, id est, *calumniatus es*, &c. & in *l.* 13. §. 6. *D. de Jurejurando*, ubi *Inperator noster*, inquit Ulpianus, *cum patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere: & ita ei superdici* προπετῶς μὴ ὄμνυε, *id est*, *temere ne jurato.* De caussis enim civilibus hic in *L. XI.* tantum agitur, non de criminalibus, licet sub civilibus videantur contineri criminales; quia ad huc magis relligiosi diei devotio suppliciorum executione turbaretur; arg. *l.* 6. *C. h. t. c.* 1. x. *de Feriis* non obstante *l.* 9. *D. h. t.* Vultejus de *Judiciis lib.* 2. *c.* 7. *n.* 330. nisi tamen sit periculum in mora, ut in quaestionibus latronum, in *l.* 10. *C. Just. h. t.* ubi nec *venerabili Paschae die differtur sceleratorum proditio consiliorum, quae per latronum tormenta quaerenda est: cum facillime & in hoc summi Numinis speretur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur.* Alterum, quod observatu dignum judicavi, sunt verba l. XI. *Ad sese simul veniant adversarii non timentes: subeat animos vicaria poenitudo: pacta conferant: transactiones loquantur.* In his verbis latet aliquid novi & plane diversum a Constitutione Valentiniani Junioris in *l.* 3. *C. Theod. de Exsecut. & Exact.* ubi „Ne apud „ ipsos quidem arbitros (vel in judiciis flagitatos, vel sponte de„ lectos) ulla sit agnitio jurgiorum. Neque frustra hoc constituit Valentinianus, & dubio procul Leone in hoc prudentior, bene gnarus, non sine jurgiis rem inter Arbitros componi, quibus Dominici diei sanctitas sine dubio violaretur, & contra mentem Inperatorum lites foverentur. Adde, quod sint instar judiciorum publicorum *l.* 1. *D. de Arbitr.* vid. tamen Groeneweg. ad *L. nostr. fin. h. t. n.* 2. & Busium ad *l.* 36. *D. de Arbitr.* Rectius ergo putem, nec in publicis, nec in privatis caussis ejusmodi arbitrium esse admittendum, *l.* 7. *in fin. l.* 8. *C. h. t.* non obstante *l.* 5. *C.* Ceterum & his diebus dominicis quiescere debent omnium artium officia, *l.* 3. *C. h. t.* juramenta *c.* 1. x. *h. t. c.* 22. *decrevit qu.* 5. nuptiae etiam, Carpzov. *Jurispr. Consist. defin.* 157. *seqq.* Piscationes. vid. tamen *c.* 3. x. *h. t.* & Ungebauer. ad *d. t. n.* 24. Commercia, nundinationes *c.* 1. x. *h. t.* Carpzov. *lib.* 9. *def.* Tantum quoad primam Legis *nostrae ult.* partem.

§. IX.

IX.

Progrediamur ad alteram, quam in hisce verbis paulo ante constituere lubuit: „ Nec hujus tamen relligiosi diei otia relaxantes obscoe„ nis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die „ sibi vindicet scena theatralis aut Circense certamen, aut ferarum „ lacrymosa spectacula; & si in nostrum ortum aut natalem cele„ branda sollemnitas inciderit, differatur. Duo iterum hic veniunt observanda, 1. Voluptates & certamina. 2. Principis natalis. *Relligiosum* hic vocat diem, quem supra Dominicum dixerat, a relligione & pietate, qua diem illum transigere deberent Christiani. *Otia* pro vacationibus hic accipiuntur & feriis: & sic Ovidius aliique centies loquuntur, studia *honesta otia* vocantes. Exempla quoque suppeditant Jura: sic *otium civile* in *l. unic. C. de Gladiat. in otio & tranquillitate reliquum vitae tempus peragere*, *l. 13. C. de Advocat. divers. Judic.* Non ergo vox tam crude accipienda, quasi nihil agere, & in utramvis aurem dormire significaret. Porro neminem patitur obscoenis voluptatibus eo die detineri. Quaenam sint *obscoenae voluptates*, nostra forsan scire non interest: at, quia tamen stolidum videtur nescire ea, de quibus in legibus statutum est, age! breviter explicemus, quid sint Voluptates. Omnis generis ludos hic intelligere Leonem, verba sequentia videntur dictitare. *Voluptates* enim dicuntur spectacula & ludi, in *l. ult. C. Theod. de Spectac. l. 17. eod. de Paganis. l. 3. 5. 6. 13. eod. de Scaenicis. l. 29. 32. de Praetor.* Inde & Tribunus Voluptatum, *l. ult. C. Theod. de Scaenic.* Circensium voluptas; populi voluptates, *l. 5. & 3. eod.* Obscoenas ergo vocat voluptates scenam theatralem, Circense certamen, & ferarum lacrymosa spectacula. Miraberis dubio procul obscoenis voluptatibus ludos hos adnumerari, cum Arcadius & Honorius festos conventus civium & communem omnium laetitiam submoveri pati noluerint, in *l. 4. C. de Pagan.* Quî ergo obscoenas poterat dicere Leo scenam theatralem? &c. sed forsan ideo obscoenam vocavit, quia dies solis, pura mente colendus, est procul ab omni obscoenitate &c. Et merito Seneca Epist. 7. *Nihil est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt.*

punt. Circense certamen a Graecis traxit originem, & Romulus primus, raptis virginibus Sabinis, Consualium nomine illud celebravit, auctore Valer. Maximo, *lib.* 11. *c.* 4. *n.* 4. Tarquinius autem Priscus circum iis edendis primum adplicavit. vid. Panvin. de *Ludis Circensibus*, 1. 3. Ex Novell. 105. *c.* 1. Circenses intelligi ludos discimus, tragoediis & thymelicis, sive modulationibus scenicis distinctos. Per *lacrymosa Spectacula* intelligit Inperator Leo ludum Gladiatorum, quae & *cruenta spectacula* vocantur, in *l.* 1. *C. de Gladiator.* Constantinus equidem, A. U. C. 167. poene sexcentis post instituta ea annis, e toto orbe Romano illos submovit, Sozomen. Hist. Eccl. lib. 1. c. 8. *Apud Romanos tunc primum sublatum Gladiatorum spectaculum.* Sed, sub sequentibus Inperatoribus iterum invaluit; unde ad Honorium preces & querelae Prudentii contra Symmach. n. 1113.

„ Quod genus ut sceleris jam nesciat aurea Roma,
„ Te precor Ausonii Dux augustissime regni:
„ Et jam *triste sacrum* jubeas ut cetera tolli.

& n. 1121.

„ Arripe delatam tua, Dux, in tempora famam;
„ Quodque Patri superest, successor laudis habeto.
„ Ille urbem vetuit *taurorum sanguine tingi*:
„ *Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.*
„ Nullus in urbe cadat, *cujus sit poena voluptas*:
„ Nec sua virginitas oblectet caedibus ora.
„ Jam solis contenta feris infamis arena,
„ Nulla cruentatis *homicida* ludat in armis!

Et licet Honorius occasione Monachi Telemachi cujusdam, qui, cum gladiatores, Romae pugnantes, pio zelo diducere vellet, a populo lapidibus obrutus fuit, ludum hunc plane sustulerit; nihilo tamen minus adhuc, tempore Leonis, in usu fuit, adeo ut ille severe debuerit prohibere larymosa spectacula die solis celebrare. Ab his Gladiatorum ludis descendit Taurorum ludus

dus apud Hispanos; de quo curiositatis caussa late videri potest Amaya *lib. 2. Observ. ult.* Ad secundum membrum quod attinet de Natali Principis: est ille duplex; velque pro die, quo princeps natus, vel quo sceptra sortitus fuerit, accipitur. Sic Judicibus ludis vacare permittit Valentinianus in *l. 2. C. Theod. de Spectaculis*, „illis diebus, quibus vel in lucem editi, vel inperii sumus „ sceptra sortiti. Et in *l. 2. C. Theod. de Fer.* Parem, *inquiunt*, „ *Inpp.* necesse est haberi reverentiam nostris etiam diebus, qui „ vel lucis auspicia, vel ortus inperii protulerunt. Differebant ergo dies *natalis* inperii, & *genuinus*, ut dicitur in *l. 11. 17. C. Theod. de Prox. comit. disp. Genitalitius* apud Capitol. in Pertinace dicitur. Vid. Jac. Gothofred. ad *l. 2. C. Theod. de Feriis circa fin* Adde Plinium *lib.* 10. ubi: „ In quem tutela generis humani felicissima „ successione translata est, debita relligione celebravimus commen- „ dantes inperii Tui auctoribus, & vota publica, & gaudia. Et ejusmodi ritus, natales principum celebrandi apud nos hodie adhuc vigent. Ultima legis nostrae pars continet poenam in legis violatores: „ Amissionem militiae & proscriptionem patrimonii, „ *inquit Inperator Leo*, sustinebit, si quis umquam hoc die festo „ spectaculis interesse, vel cujuscumque judicis apparitor, praetex- „ tu negotii publici seu privati, haec, quae hac lege statuta sunt, „ crediderit temeranda. In poenae genere iterum longe mitior & clementior fuit Leo noster, quam Valentinianus Junior, qui in *l. 3. C. Theod. de Exsecutor.* notabiles & sacrilegos jussit esse diei Dominici contemtores. Hic vero tantum amissio militiae & proscriptio bonorum in illos statuitur; hodie extra ordinem puniuntur, Carpzov. *lib. 2. Consist. Hist. d. l.* Quid vero per militiam intelligat Leo Inperator, quaeritur: fine dubio, Urbanam: duplex enim erat militia, armata, seu urbana, Cicero *pro Muraena*: „ Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scri- „ bendi plenam sollicitudinis, ac stomachi sequutus est. Haec urbana militia omnia continebat officia aulica, omnesque magistratus Inperatori ministrantes. Inperatorum duplex erat militia, Palatina, & sacrorum scriniorum; de quibus vid. J. Averanium *lib. 2. Interpret juris c. 7. pag.* 516. 517 Sic Apparitor, *militia solutus* in *l. 4. C. Theod. de Exsecut.* Et *militiam liberto comparare*, id est,

munus scribae, in *l.* 18. §. *ab heredibus de Aliment. leg.* ad quam vide Averanium, *d. l.* Immo & Advocati militare dicuntur, in *l.* 14. *C. Just. de Advoc. div. jud.* Ceterum notabile est, quod diem Dominicum in fine *Festum* dixerit Leo: unde videtur patere, sub diebus festis, late sumptis, omnino Dominicum diem contineri. Sequitur, coronidis loco, subscriptio Leg. nostrae, seu subnotatio *Dat. Id. Decemb. Constantinop. Zenone & Martiano Coss.* 469. Ubi hoc unice animadverto: nam nomina illa norunt omnes, & qui nondum aere lavantur, umbram honoris Consulibus in subscriptione sub Inpp. fuisse relictam; &, cum olim Rubrum legis ornarent, eisque praescriberentur, eorum nomina, jam in calcem rejecta, subscribebantur. Haec sunt, quae ad elegantem Legem XI. pro virili & breviter proponere lubuit.

§. ult.

Videamus superest exceptiones ab hac lege. Excipiuntur autem, primo loco, atrociora crimina, quia facillime in hoc Summi Numinis venia speretur, per quod multorum salus & incolumitas procuratur, *l.* 10. *C. h. t.* Hodie taman hoc vix observatur, & caussae cognitio raro die festo fit, sed plerumque in non festum differtur, Carpz. *Pract. Crimin. p.* 3. *q.* 124. *n.* 4. & Clarus testatur, se numquam vidisse sententiam capitalem die festo executioni mandari, §. *fin. q.* 64. II. Excipitur Captura reorum criminum graviorum, si in flagranti crimine deprehenduntur, ne fuga salutem sibi quaerant, & ne delicta maneant impunita. Immo Saccia de *Judic. c.* 5. *n.* 28. hoc etiam in civilibus admittit, ubi de fuga sunt suspecti, Groenew. *ad l. fin. C. h. t.* Peck. *de Jure sistendi c.* 10. *num.* 1. De Citatione: num illa fieri & insinuari possit, ambigunt Interpretes. Verius autem videtur cum Vultejo, *d. c.* 7. *n.* 341. aliisque, non posse; quidquid etiam in Colleg. Jur. Argentor. *h. t. th.* 21. hac de re in contrarium adferatur. Idem dicendum videtur de Appellatione. Vid. Carpzov. *lib.* 2. *Jurispr. Consist. defin.* 250. nisi pietas & necessitas aliud suadeat, *l. fin. l.* 10. *C. h. t. c.* 1. *in fin. & c. fin. X. h. t.* Dissentiunt Brunnem. *de Process. c* 6. *n.* 23. Gail. 1. *Observ.* 53. *n.* 11. III. Permittuntur die dominico pacta & transactio-

actiones; de quibus supra, *d. l. fin.* §. 1. *C. h. t.* IV. Et ruri habitantes agrorum culturae libere & licenter die hoc inservire possunt, „quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die fru„menta falcis aut vineae scrobibus mandentur, ne occasione mo„menti pereat commoditas, coelesti provisione concessa, Groe„new. ad *d. l.* 3. Chopin. *de Privil. rustic lib.* 2. *c.* 7. Neque video satis caussae, cur haec rejecerit in *Novell. sua* 54. Inperator Leo VI. philosophus. Alberic. Gentilis *lib.* 1. *de Nuptiis c.* 6. Eleganter Statius Papinius lib. 4. *Sylvar. ad Marcell.* sub Domitiano:

„Certe jam Latiae non miscent jurgia leges;
„Et pacem piger annus habet, messesque reversae
„Dimisere forum: nec jam sibi turba reorum
„Vestibulo, quaerulique rogans. Exire clientes
„Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

Actus demum voluntariae jurisdictionis, qui nullam caussae cognitionem requirunt, ab hac *L.* XI. excipiuntur, *l.* 8. *C. h. t.* Franzk. in *Comment. ad D. h. t. num.* 25. & testamenta die dominico apud acta condita valere, tradit Besoldus ad jus Wirtenberg. *disput.* 3. *th.* 2. Bocerus & Wesenbecius *d. h. t. n.* 5. ibique Hahn. Si vero causae cognitionem requirant actus illi, die dominico peragi illos posse, recte negamus, propter verba Legis nostrae: *sit ille dies a cognitionibus alienus.* Franzkius *d. l. n.* 26.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Tutor, ob latam culpam remotus, non fit infamis.

II.

Donatio omnium bonorum valet.

III.

Princeps legibus est solutus.

IV.

Periculum & commodum rei venditae pertinet ad emtorem.

V.

Femina in Codicillis non potest esse testis.

FINIS.